

contra neque in Britannia nec in Galliis reperio composita cum vici vocabulo Romano, quod solet interdum addi nominibus locorum, ut Ausava vicus, Vungo vicus, Epoisso vicus, Orolanno vicus similia, in quibus dubitari potest utrum melius scribatur Vungum, Epoissum, Orolannum vicus necne. Neque vero nego ex compositione cum vici vocabulo orta esse posse Borcoviciam et Longovicium cum similibus: sed Borcovicus formam, quae inter antiquarios Britannos sola obtinet, iustam esse nego. In castris ibi erat *tribunus cohortis primae Tungrorum* (notitia p. 114*, 7), quorum cohortes duas scimus iam in Britannia fuisse sub Agricola (Tac. Agric. 36 cf. hist. 2, 14 ss.); prima deinde memoratur in diplomatis a. 104 et 106. Cuius cohortis cum intra parietinas castrorum *Housesteads* a vulgo dictorum (i. e. locus habitationum, *die Hausstätten*; Camdeno ed. VI p. 659 *Chester-in-the-wall*) variis temporibus usque ad hunc diem prodierint tituli decem vel duodecim (n. 633. 635. 638. 639. 640. 642. 651. 653. 690. 691; adde n. 641. 655) conveniatque etiam situs cum stationum per lineam valli serie, de qua exposui in praefatione ad vallum, nulla iam de Borcovicii collocaione dubitatio esse potest, quanquam tegulae cohortis eius ibi repertae sunt nullae. De reliquiarum Borcoviciensium numero et magnitudine inde a Gordone, Rogerio Gale, Stukeleio, Horsleio, Huttone (qui ibi titulum unicum descripsit n. 640) scriptores omnes consentiunt (Horsley p. 106 et 219; cf. Goughs Camden 3 p. 504; Hodgson 2, 3 p. 185 ss.; Maclauchlan *memoir* p. 38 s.; Bruce *wall* p. 179 ss.); unde eius reliquias cum Pompeiorum solent comparare Britanni. Post sacrarium Mithriacum ibi detectum a. 1822 (cf. n. 645—650) et descriptum ab Ioh. Hodgson (Archaeol. Ael. I 1828 p. 263 ss.), ab Hodgson ipso, deinde ab Ioh. CLAYTON nunc eius quoque stationis ut Cilurni et Procolitiae domino effossiones institutae sunt variis temporibus, quibus effectum est, ut murorum et portarum aliorumque aedificiorum situs iam plane perspiciantur. Praeter titulos non paucos repertae sunt artis statuariae reliquiae permultae, rudes quidem omnes, sed quae ex parte saeculo secundo medio attribuentur; ut videantur referendae esse ad initia castrorum ab Ha-

driano conditorum (cf. Horsley n. 38. 43. 48—51 multaque alia a Brucio addita). Etiam tituli complures propter litterarum formam aliaque eidem tempore adsignandi sunt; unde explicatur quod nonnullorum lapides postea novis titulis inscripti sunt saeculo tertio (cf. n. 646. 664).

Praeter cohortis Tungrorum miliariae (635), a cuius praefectis binae interdum dedicationes factae sunt (n. 638. 639 et 642. 651), quod etiam Uxelloduni observavimus (supra cap. XXXIII), incertamque cohortis alicuius Pannoniorum memoriam (n. 692), aliquot legionum II (n. 637), VI (n. 644. 658. 664), XX (n. 666) testimonia extant una cum consolitatis cohortium et centuriarum lapidibus (n. 667—688), quibus accedit titulus molae ad usum centuriae alicuius ut videtur destinatae (n. 689). Genius praetorii (n. 644) et fortasse etiam praetenturae (n. 634) cum dis consuetis Apolline (n. 632. 633), Hercule (n. 635), Iove (n. 636—641), Silvano Cocidio (n. 642—644), Marte (n. 650), Matribus (n. 652. 653), postea Mithras (n. 645—650) ibi culti sunt. Praeter praefectos (non tribunos) cohortis Tungrorum memorantur beneficiarius consularis (n. 645), centurio (n. 646), medicus ordinarius cohortis (n. 690); item homines oriundi ex Germania superiore (n. 632. 693). Ex imperatoribus Severi tantum filii semel nominantur (n. 664) in parte postica tituli antiquioris (n. 634).

Addidi Borcoviciensibus titulos quattuor repertos in castellis miliaribus a Borcovicio versus occidentem per lineam valli dispositis, de quibus dixi in praefatione ad vallum. Sunt autem castella haec: *the Housesteads mile-castle*, *the Milking-Gap m. c.*, *the Castle-Nick m. c.*, *the m. c. on the summit of Winshields Crags*, *the Shield-on-the-wall herds house*, *the Cawfields m. c.* In quattuor eorum, scilicet tribus prioribus et ultimo, totidem tituli reperti sunt iisdem verbis concepti (n. 660—663), qui hanc muri partem a legione secunda extractam esse demonstrant imperante Hadriano sub legato eius A. Platorio Nepote; unde opus valli certo declaratur ab ipso Hadriano iam susceptum esse, ut supra exposui. Pertinent autem ad castella illa miliaria alii quoque tituli nonnulli (ut n. 632), quos collocavi inter Borcovicienses.

632 Rep. a. 1850 prope castellum miliarium, quod Brucio *the Cawfields mile castle* est. Servatur in *Chesters*. Arula alta ped. 1 dig. 4, lata dig. 6. Litterae sunt saeculi secundi exeuntis.

DEO APOLL
N · MELONNS
SENLS · EX PR
GR · SVP
5 S S
L · L · M ·

Contuli et edidi act. acad. Berol. a. 1866 p. 794. Bruce *wall* p. 397 (Wright *the Celt* p. 262).

5 S · S · L · L · M formula aliunde mihi non nota est; putavi *susceptum* simpliciter dictum esse pro *votum susceptum*.

Homines Germani (cf. infra n. 693) stipendia fortasse merebant in vexillationibus legionum Germanicarum ab Hadriano in Britanniam deductis, de quibus dixi in praefatione ad vallum; cf. etiam vexillatio Raetorum et Noricorum tituli n. 212.

Deo Apollini Melonius Senilis ex pr(ovincia) Ger(maniam) sup(eriore) s(usceptum) s(olvit) l(aetus) l(ibens) m(erito)

633 *Housesteads*; nunc in *Newcastle*, in museo. Basis alta ped. 3 dig. 7, lata ped. 2 dig. 7.

DIS DEABVSQVE SE
CVNDVM INTERPRE
TATIONEM · ORACV
LI CLARI APOLLINIS
5 COH · I · TVNGRORM

Contuli et edidi act. Berol. a. 1866 p. 791. I. Hodgson *Archaeologia Aeliana* 1, 1857 p. 261, *hist. of Northumb.* 2, 3 p. 189; Bruce *catal.* p. 41, 134, *wall* p. 397.

Titulus gemellus in Dalmatia repertus est, C. I. L. 3, 2880: *d(is) deabusque secundum interpretationem (sic) Clarii Apollinis*. Clarium Apollinem, non clarum, ut olim verterant, intelligendum esse perspexit McCaul *Brit. Rom. inscr.* p. 154. De oraculo illo imperatorum aetate satis celebri cf. Marquardt *Handbuch* 4 p. 106.

D(is) deabusque secundum interpretationem oraculi Clarii Apollinis coh(ors) I Tungrorum

634 *Housesteads*; a. 1813 servabatur at *Stagshaw Close House* HODGS. Nunc est in *Newcastle* in museo. In parte aversa legitur titulus n. 664 recentior; nam huius litterae bonae sunt saeculi secundi.

VITIO · PAVLIN
GEN · PRAETEN

Contuli. Hodgson 2, 3 p. 194; Bruce *catal.* p. 12, 24; *Archaeol. Ael.* 1, 1857 p. 232.

V. 2 . . . *ntio Paulin(o)*. 3 *Gen(io) praeten(turae)*? De quo vocabulo cf. quae Lindenbrogius adnotavit ad Ammianum 14, 2, 4; antiquitus partem castrorum significabat (Hyginus de mun. castror. c. 3 p. 68 Lange, cf. p. 122), apud Ammianum stationes agrariae ita denominantur. Unde hoc fortasse testimonium eius vocabuli antiquissimum est.

635 *Housesteads* GORD. HORSL. Servatur in *Newcastle* in museo. Ara alta ped. 3 dig. 7, lata ped. 1 dig. 9. Litteris evanidis.

HERCVLI
COH · I · TVNGROR
MIL
CVI · PRAEST P · AEL
5 MODESTVS · PRAEF

Contuli. Gordon *it. sept.* p. 76 tab. 35 fig. 3 (inde Maff. mus. Veron. p. 346, 7; ex Maff. Donat. 35, 1); Horsley p. 220 *Northumb.* 41 (inde Warburton vallum p. 62, 41; Goughs Camden 3 p. 504 tab. 31 fig. 4; Hodgson *Archaeol. Ael.* 1, 1857 p. 265, *hist. of Northumb.* 2, 3 p. 189); Bruce *catal.* p. 45, 143, *wall* p. 396.

4 PRAEST Gord. Horsl. idemque ego mihi visus sum legere, sed sequor Brucium, cuius schedae et exemplum accurate ligno incisum exhibent x formam pro A et E positam errore quadratarum.